RECTOR

COMMILITONIBUS

CERTAMINA ERUDITIONIS

PROPOSITIS PRAEMIIS

IN ANNUM MDCCCLVIII

INDICIT.

Praemissae sunt Reinholdi Klotz quaestiones Gellianae.

LIPSIAE
PROSTAT APUD ALEXANDRUM EDELMANNUM,
BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.
MDCCCLVII.

Ciuis noster B. G. Teubnerus, experientissumus et diligentissumus bibliopola, cuius obitu quamuis non immaturo litterae antiquae magnum damnum fecissent, nisi ipse in morte sua rebus domesticis ita prospexisset, ut libraria honestissuma et florentissuma generorum suorum sollertia atque industria nisa stare atque amplius etiam incrementum capere posset, quo gratius omnibus philologis fecit, quod in bibliothecam scriptorum Graecorum et Latinorum suam non solum eos scriptores recepit, quorum libri saepius legi atque in scholis frequentari solent, ut plus lucri in eis fieri possit, uerum etiam illos auctores non omisit, quorum scripta non tam facile uaeneunt, ut quaestus nullus aut certe minor inde redundet, hoc officiosius ac lubentius omnes nos, qui in antiquis litteris studium operamque ponimus, facere debemus, ut, si quid in illis libris minus recte administratum esse uideatur aut si quid restet emendandum, ut id diligenter reprehendamus et quantum est situm in nobis strenue corrigamus, uti, quod homo gnauus et industrius sumptu non paruo egregie incohauit, id ad eum finem perducatur itaque absoluatur, ut non solum necessarium instrumentum ad litteras antiquas colendas paretur, sed etiam lauta supellex non desit.

Eo ego officio ut iam pro uirili parte fungar, sententia est primum A. Gellii *Noctibus Atticis* operam meam tribuere, quas

nuper Martinus Hertz ueteribus codicibus excussis emendatas edidit Lipsiae anno MDCCCLIII., ac, si quid in eis libris mihi aliter constituendum esse uideatur atque ab illo critico existumatum sit, de ea re ei libere atque amice sententiam meam aperire, ut philologus egregius, quem quum propter facultatem ingenii eximiam tum ob doctrinae elegantiam magni facio, una id intellegat me in rebus iis, quae ad litteras pertineant, ne lacessitum quidem solere irasci. Ea autem, quae mihi contra uirum praestantissumum de opera ab eo in Gellii libris emendandis posita dicenda sunt, partim ad uniuersam rationem pertinent, qua artem criticam in his libris exercuit, partim ad singulos locos spectant. De uniuersa ratione hoc dico, etiamsi cautus ac seuerus criticus in multis locis nihil aliud spectare possit nisi ut id, quod antiquitus nobis traditum sit, quamuis falsum esse censeat, restituat, id tamen non esse faciundum nisi in eius modi locis, in quibus nullo modo possit quod uerum esse uideatur probabiliter confici, in eis autem locis, in quibus certa ratione uerum inueniri atque agnosci possit, non esse illud quod aperte uitiosum sit amplius propagandum: hanc tamen legem, quae mihi in eius modi editionibus obtinenda esse uidetur, credo ego saepius neglectam esse a uiro doctissumo, qui etiam in iis locis, de quibus, ut opinor, certius aliquid statui poterat, non saepe falsam librorum scripturam retinere quam probabiliter scriptoris orationem emendare maluerit. Id etsi per se non ualde uituperari potest, tamen non raro legenti molestiam creat, qua mihi is carere potuisse uidetur. Tum autem etiam in singulis locis factum est, ut uir de litteris Latinis optume meritus contra legem suam aliquid aduersus libros immutaret, quod neque satis tuto semper neque satis recte factum uideretur. Utriusque generis exempla agnoscentur, si iam singula, in quibus ego cum uiro egregio dissentio, ordine persequar, in quibus si quaedam insunt quae minoris momenti esse uideantur, qui haec legent sic existu-

ment, primum artem esse eandem, siue paruis rebus adhibeatur siue magnis, deinde pertenui saepe argumento res magnas patefieri, ut profecto in his rebus nihil, ne minumum quidem, neglegendum esse uideatur.

Ac primum quidem quod in Gellii praef. §. 20. p. 4. apud M. Hertz scriptum legimus: *mutuabor ex Aristophanae choro anapaesta pauca* etc., in eo genetiui forma *Aristophanae* me offendit. In libris plerisque *Aristophane* scriptum est, quam ob rem Io. Fr. Gronouius scribi uoluit *Aristophani*, quem ad modum Gellius saepe *Sophocli*, *Euripidi*, *Empedocli* et multa id genus alia dixisset. Equidem suspicor Gellium scripsisse: *ex Aristophaneo choro*. Id si olim continua scriptione ita exaratum erat: *ex aristophaneocoro* — sic enim, *coro*, dicitur in libris quibusdam scriptum esse —, facile inde illa corruptela *aristophanecoro* nasci potuit. Ne quis autem in eo offendat, quod Gellius non posito ipso Aristophanis nomine sic pergit: *et quam ille homo festiuissumus fabulae suae spectandae legem dedit* etc., commemoro eodem dicendi modo quum saepe alios scriptores tum ipsum quoque Gellium usum esse lib. II. c. 30. §. 6. *Id autem ipsum, quod dicimus, ex illis quoque Homericis uersibus, si quis non incuriose legat, adminiculari potest. Nam de austri flatibus ita scripsit* etc.

Lib. I. c. 1. §. 1. scripsit M. Hertz: *Plutarchus in libro, quem de Herculis, quantum inter homines fuit, animi corporisque ingenio atque uirtutibus conscripsit* etc., ex bonis, ut opinor, libris, quum Io. Fred. et Iac. Gronouii edidissent in his verbis: *quali inter homines fuerit*, quod ipsum quoque in libris scriptum fuisse uidetur. Nos hoc loco neque *quali* neque *quantum*, quamquam hoc magis ab librorum auctoritate commendari uidetur, probare possumus. Utraque autem scriptura, quum ponimus eas olim notis exaratas fuisse, facile eo ducimur, ut uerum agnoscamus. Vix enim uidetur nobis dubium esse posse quin Gellius scripserit:

Plutarchus in libro, quem de Herculis, quamdiu inter homines fuit, animi corporisque ingenio atque uirtutibus conscripsit etc. **quādiu** facile et cum **quātū** et cum **qualı** confundi potuit.

Ibid. c. 2. §. 4. edidit M. Hertz: κυριεύοντας, ἡσυχάζοντας *et* σωρείτας *aliosque id genus griphos neminem posse dicens nisi se dissoluere.* Id ne in Gellio quidem uidetur ferri posse. In editione Gronouiana scriptum erat: κυριεύοντας, ἡσυχάζοντας καὶ σωρείτας. Sine dubio M. Hertz ex libris *et* pro καὶ recte recepit. Eodem prorsus modo coniunctio Latina inter uerba Graeca posita inuenitur lib. I. c. 5. §. 1. c. 26. §. 10. lib. II. c. 3. §. 2. c. 7. §. 22. et saepe alias. Sed illud non recte fecit, quod non una etiam *et* ante ἡσυχάζοντας reposuit, quod vetus codex Scioppii, fortasse etiam alii libri praebent, ac sic totum locum constituit: κυριεύοντας *et* ἡσυχάζοντας *et* σωρείτας etc., ut re uera in illo Scioppii codice scriptus est. Quam facile *et* particula, quae, ut Iac. Gronovius aperte scribit, in ueteribus Gellii libris nota quadam saepe significata magis quam expressa erat, excidere potuerit perspicuum est. Etiam in hac ipsa §. paullo post, ubi olim legebatur: *uitiorumque labes ac pestilentias,* libri autem plerique *ac* non habent, quam ob rem M. Hertz *pestilentias* aduenticium esse putauit et uncis circumclusit, credo ego rescribendum esse: *labes et pestilentias. et* enim post *es* litteras aut, si per compendium scriptum erat, facile éxcidit. Fortasse etiam infra c. 2. §. 19. *contra ius et contra quam licet* obtinendum erat aut scribendum: *contra ius contraque quam licet.* Facile enim q; ante *quam* omitti poterat. Sed omittamus hunc locum. Eodem modo, quo hoc loco, unde digressi sumus, M. Hertz etiam infra lib. XI. c. 15. §. 2. neglexit id, quod propter linguae Latinae leges in eius modi loco neglegendum non erat, ut recte quidem in uerbis his: *Id uerbum C a e s e l l i u s   V i n d e x   i n   c o m m e n t a r i o   l e c t i o n u m   a n t i q u a r u m ea figura scriptum dixit, qua 'ludibunda', ['ridibunda'] et 'errabunda'*

dicitur ludens et ridens et errans, restitueret nomen *ridibunda*, quod uncis circumclusum auctoribus etiam aliis editoribus adiecit, sed tamen non recte omitteret *et* particulam, quae necessario una erat adiungenda. Mihi enim dubitari posse non uidetur quin Gellius scripserit: *qua 'ludibunda' et 'ridibunda' et 'errabunda' dicitur ludens et ridens et errans*, quem ad modum ibidem §. 3. scriptum legitur: *Nam 'ludibunda', inquit, et 'ridibunda' et 'errabunda' ea dicitur* etc. In uerbis iis, quae in illo loco, unde digressa nostra oratio est, statim sequuntur, uidetur uir doctissumus nihil aliud nisi quod in libris erat scriptum obtinere uoluisse, quum scripsit: *asseuerabat nulli esse ulli magis ea omnia explorata, comperta meditataque.* Uerum tamen in ea opinione sum, ut existumem haec uerba corrupta quidem esse, sed non ita tamen corrupta, ut emendari non queant. Arbitror enim Gellium fere sic scripsisse haec uerba: *adseuerabat nulli esse alii magis ea omnia explorata, comperta, meditata quam sibi.* Quod olim post *meditataque* edebatur *quam sibi*, ab Hertzio propter librorum auctoritatem omissum, si forte per compendium scriptum erat q̈. ś, facile hoc loco ita corrumpi potuit, ut ex q̈ oreretur *que*, ś autem prorsus deleretur. Sed in eius modi rebus nihil pro certo adfirmare possumus, itaque hoc non minus dubitanter a me propositum esse uolo, quam illud, quod §. 5. quae sequitur suspicor Gellium scripsisse: *ac ne oris quidem et uultus serenitatem Stoici hominis umquam ulla posse aegritudine obnubilari*, pro eo, quod in omnibus libris et scriptis et editis legi uidetur: *ac ne oris quoque et uultus serenitatem* etc. Si minus ipsa uerba *quoque* et *quidem*, notae quidem certe eorum uerborum facile inter se confundi poterant.

Magis mihi uideor id adseuerare posse, quod dicturus sum de c. 3. §. 1. Nullo enim modo probare possum, quod nuper M. Hertz, quamquam libros secutus esse uidetur, scripsit: *Lacedaemonium*

Chilonem, uirum ex illo inclyto (sic, per *y*, non uidetur esse scriptum nisi errore librarii, infra c. 11. lemm. rectius scriptum est *scriptor inclitus* et aliis locis *inclutus*) *numero sapientium* etc., quod mihi linguae consuetudo ferre non uidetur. Illud autem, quod olim hoc loco legebatur, **unum** facile in **uirum** corrumpi potuit, ut eius modi scripturae discrepantia, etiamsi librorum auctoritate niteretur, tamen recipienda non fuerit. Si quid mutandum erat, satius erat *sapientum* pro *sapientium* e codice uetere Scioppii recipere. Ibid. §. 7. recte, opinor, Canterus quod est in libris *fuisset* scriptum, id in *fuit set* mutauit in uerbis his: *Sic mihi et iudicis et amici officium in re tanta saluum fuit. Sed hanc capio ex eo facto molestiam, quod* etc. Etenim quod M. Hertz, sine dubio libros secutus, *sed* prorsus deleuit, non possum comprobare. Particula aduersatiua in eius modi locis se ipsa offert, conf. P. Terentii Andriae act. I. sc. 1. v. 13 sqq. *Gaudeo, si tibi quid feci aut facio quod placeat, Simo, et id gratum fuisse aduorsum te habeo gratiam. Sed hoc mihi molestum est* etc. Ibidem §. 28. pro *tempestiuae* retinendum erat *tempestiue* et ita interpungenda oratio: *Fauorinus quoque philosophus huiusce modi indulgentiam gratiae, tempestiue laxato paullum remissoque subtili examine, his uerbis definiuit* etc. Hoc ita existumandum esse Graeca quae sequuntur uerba satis aperte indicant: *ἡ καλουμένη χάρις παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, τουτέστιν ὕφεσις ἀκριβείας ἐν δέοντι. tempestiue* enim sine dubio respondet Graeco *ἐν δέοντι.* Grauior uero emendatio mea quidem sententia faciunda erat §. 30. Ibi uir doctissumus ita scripsit: *'Hac', inquit, 'fini ames, tamquam forte fortuna et osurus, hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus.' et* ante M. Hertz in editionibus erat omissum, reprehensum ab eo sine dubio e libris manu scriptis. Nobis quidem hoc uerum esse non uidetur, ueri uidetur uestigium, si recte rem existumamus. Quid enim *et* ante *osurus* significat? Qua ratione refertur ad simile illud,

quod his respondet in altero membro *post amaturus?* Notemus igitur hoc *et osurus* et uideamus ecquid praeterea e libris notari possit. Cod. Buslidianus et unus liber Scioppii haec uerba ita scripta habent: *hunc, inquit, amorem ita finiam, tamquam forte fortuna positurus, hoc odium ita, ut te nunc oderim, tamquam fortassis post amaturus.* Haec uerba, quamuis aperte interpolata sint, tamen, ut in altero membro, sic etiam in priore aliquid in se continere uidentur, quod antiquitus erat in libris scriptum. Quod si hoc considero, uideor mihi uidere, ne longior sim, ex coniunctis scripturis *positurus* atque *et osurus* id, quod aequabilitas membrorum, si in altero membro legimus: *hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus,* necessario etiam in priore membro requirit: *post osurus. postosurus,* praesertim si *post* usitato compendio p⁹ erat scriptum, facile in *positurus* mutari poterat aut etiam, si compendia inter se confunderentur, in *et osurus* deprauari. Hoc igitur *post osurus,* cuius certa arbitror esse in libris manu scriptis uestigia, si recipimus, habemus orationem hanc, ut opinor, aptissumam: *Hac, inquit, fini ames, tamquam forte fortuna post osurus, hac itidem tenus oderis, tamquam fortasse post amaturus.* Praeteriens commemoro me §. 31. malle restitui φιλίᾳ pro φιλίαις in uerbis his: *νομίζων ἐξ ἀνάγκης ἐπακολουθεῖν καὶ συνεμπλέκεσθαι φιλίᾳ ἀπεχθείας.* φιλίᾳ legitur in codice uetere Scioppii et in cod. Fulu. et si scriptum erat ita, ut saepe factum est in antiquis libris, φιλίαι facile in φιλίας, quod est in reliquis libris, mutari poterat. φιλίαν autem et ἐπεχθείας Plutarchus eodem modo inter se opponere potuit quo Latini inter se opponunt *amicitiam* et *inimicitias.*

C. 6. §. 2. legimus in oratione Metelli Numidici apud M. Hertz: *Si sine uxore possemus, Quirites, [esse], omnes ea molestia careremus* etc. Hinc debemus colligere in libris manu scriptis uerbum substantiuum non esse et ab editore eo loco esse

repositum, ubi facillume uideretur oblitterari potuisse. At ēē, id est *esse*, etiam post *uxore* obscurari potuit et, ut ibi reponatur, sententia loci et orationis sonus requirere uidentur: *Si sine uxore esse possemus, Quirites, omnes* etc. Ibid. §. 6. non possum laudare quod uir doctissumus scripsit: *tum denique facile et procliuiter, quod fuit rerum omnium ualidissumum et uerissumum, persuasit, ciuitatem autem saluam esse sine matrimoniorum frequentia non posse.* Quum uerba: *ciuitatem — non posse* nihil aliud in se comprehendant nisi quod ille persuasisse dicitur, credo ego *autem*, quod uulgo in editionibus non legebatur, etiamsi est in optumis libris ita scriptum, locum eo loco habere non posse et non esse ortum nisi e *διττογραφίᾳ* extremarum syllabarum uerbi *ciuitatem*, ut uir eruditissumus uncis certe eius modi ( )*) circumcludere debuerit id uerbum. Tum etiam §. 7. pro eo, quod uulgo legebatur: *Iis demum*, non satis recte, ut ego arbitror, M. Hertz restituit: *Isdem*, etsi sine dubio non sine librorum auctoritate hoc est factum. Si enim *dem'* pro *demum* erat scriptum, facile ex *iis demum* nasci poterat *isdem*, eius modi autem librariorum errores uix erant in ipsa editione propagandi.

C. 7. §. 17. in editione Hertziana sic scriptum legimus: *neque soloecismum esse aiebat 'in potestatem fuisse', ut uulgus semidoctum putat, sed rationem dictu certa[m]* et *proba[m] contendebat, qua* etc. Hinc recte colligimus in libris ab illo excussis nihil aliud scriptum fuisse nisi hoc: *rationem dictu certa et proba*, ipsum autem de suo scripsisse *certam et probam*. Sed nobis tamen id, quod uulgo edebatur, *sed ratione dictum certa et proba*, unice uerum esse uidetur, ut, etiam si indicia ueterum librornm seruare voluis-

*) Utitur M. Hertz aliorum criticorum exemplo ( ), si quid, quod in libris scriptum est, delendum esse significat, [ ] autem utitur, si quid, quod in libris scriptum non est, adiiciendum censet.

set uir intelligentissumus, tamen potius scribere debuerit: *sed ratione(m) dictu[m] certa et proba.* Facile haec corrumpi potuerant, si librarius **ratıonē** se uidere putauit, ubi scriptum erat *ratione* simpliciter, et *dictu*, ubi positum erat per compendium **dıctū**, quae res etiam saepe alias in his ipsis libris causa corruptionis fuit, ut infra ostendemus ad lib. I. c. 21. §. 5. Hoc autem, quod nunc receptum est, *ratio dictu certa et proba* nihil est, illud uero, quod uulgo legebatur ante M. Hertz, ex more Gellii est dictum. Vide infra lib. I. c. 16. lemm. *quod uerba istaec — non licenter, neque de poetarum figura, sed ratione certa et proba grammaticae disciplinae dicta sunt.* et lib. I. c. 16. §. 8. *sicuti una 'χιλιὰς' et duae 'χιλιάδες', ita 'unum mille' et 'duo milia' certa atque directa ratione dicitur.* et multa id genus alia.

C. 10. §. 1. scripsit M. Hertz: *Curius, inquit, et Fabricius et Coruncanius antiquissimi uiri et his antiquiores Horatii illi trigemini plane ac dilucide fabulati sunt* etc. Non probo quod uir doctissumus illud hoc loco, e libris sine dubio, reposuit, quod ipse probauisse nullo modo potest. Nam etsi praeter codicem Schefferi, in quo quum olim uulgaretur *antiquissimi uiri nostri, uiri* omissum esse dicitur, omnes fere libri *antiquissimi uiri* scriptum habent, tamen dubitari plane non potest quin compendium uocis *nostri*, quod erat **ūrı**, et **uırı**, id est, *uiri*, inter se confusa sint. Id enim iam I. F. Gronouius uere dixit scribendum esse *antiquissimi nostri*, qua ratione Gellius saepe similia dixisset. Id ut confirmaret, contulit Gronouius infra c. 22. §. 10. *sic nostros quoque — ueteres dixisse* etc. lib. II. c. 21. §. 9. *nostri quoque ueteres a bubus iunctis septemtriones appellarunt.* lib. XIX. c. 9. §. 9. *audite et discite nostros quoque antiquiores — amasios ac uenerios fuisse.* Facile alia his similia cumulari possunt, uelut quod lib. II. c. 26. §. 9. legitur: *nostris autem ueteribus caesia dicta est quae a Graecis γλαυκῶπις* etc. et lib. XVIII. c. 9. §. 11. *Eadem ratione antiqui*

nostri narrationes sermonesque insectionesque appellitauerunt., denique quid aliud vult sibi usitatissumum illud: *maiores nostri?* Haec igitur quum ita sint, uidetur idonea causa non fuisse, quam ob rem editor clarissumus id quasi dubium relinqueret, de quo dubitari plane non posset, praesertim quum aliis locis, ubi dubitari de uera scriptura poterat, plus auderet? Etenim

C. 11. §. 17. meo quidem iudicio non recte fecit, quod quum in libris bonis, ueluti in codice Reg. et in codice Rottendorfiano *problemato* pro uulgato *problematum* scriptum esset, de coniectura sua restituit *problemato[n]*. Nam quoniam Gellius aliis locis non *problematon*, sed *problematorum* scripsit, uti lib. II. c. 30. §. 11. *Aristotelis libros problematorum* et lib. III. c. 6. §. 1. *Aristoteles in septimo problematorum*, omninoque eius modi genetiuorum formis etiam in aliis nominibus usus est, mihi uidetur satis perspicuum esse hoc quoque loco compendium genetiui **problemato**, id est, *problematorum*, ab iis librariis, qui nihil aliud fecerunt nisi ut id quod non intellegerent transcriberent, in *problemato* esse deprauatum.

C. 12. §. 2. in oratione Gellii scriptum est: *item quae lingua debili sensuue aurium deminuta aliaue qua corporis labe insignita sit.*, neque aliud quid in libris scriptum esse uidetur. Uerum tamen suspicor non hoc olim scriptum fuisse ab ipso Gellio. Nam etsi recte dicitur *lingua debilis* per sese atque etiam ab Latinis scriptoribus haec uerba ita inter se composita sunt, tamen reliqua participia *deminuta* et *insignita*, quae ad personam ipsam referuntur, eo ducunt, ut Antistium Labeonem, cuius uerba adfert Gellius, potius sic haec uerba olim scripsisse putemus: *item quae lingua debilis sensuue aurium deminuta aliaue qua corporis labe insignita sit.*, praesertim quum *debilis* adiectiuum non minus quam cetera uerba cum ablatiuo coniungi potuerit, eoque facilior haec mutatio esse uideatur, quod, si olim continua scriptione *debilis-*

sensu aut etiam *debiliSensu* exaratum erat, littera s̄ facile oblitterari poterat. Etiam in §. 5., quae sequitur, uerba a M. Hertz reposita non omni dubitatione mihi carere uidentur haec: *aut in negotiis sordidis uersantur.* Libri manu scripti partim habent *deuersantur*, a quo quod uulgo editur *diuersantur* non multum recedit, partim *deseruierunt*, ut codex Buslidianus, partim *deseruierant*, ut cod. Scioppii, quod ipsum sententiam satis idoneam efficit. Nec illud probare possumus, quod uir egregius infra §. 12. scripsit: *gratia Papiae illae legis per senatum fit* pro uulgato *gratia Papiae legis per senatum fit.* Nam quamquam hac tenus uir optumus laudandus est, quod non occultauit quod in libris antiquis nobis traditum est, sed uitiosam potius orationem propagare maluit quam uestigia ueritatis delere, tamen haud scio an id ipsum, quod est in libris scriptum, sine emendatione propagare non debuerit. Id enim, quod in uno loco haud dubie legitur in libris, *Papiae illae* mihi uidetur satis aperte indicare corruptum esse nomen legis et *Papiae illae*, etsi ante *Papiam* et *Papia* legitur, uerum quidem non esse, sed uerum tamen latere in hac ipsa corruptela: in qua mihi id uideor agnoscere, quod extremo loco in editione Coloniensi anni MDXXVI. scriptum est, *Popiliae legis*, quamquam ibi quoque *lex Papia* antea bis dicitur. Sed error facilis fuit. Propterea enim, quod l e x P a p i a, quae tamen huc uocari minume potest, erat notissuma, de l e g e P o p i l i a autem aliunde non constabat, pro *lege Popilia* restituendam putauerunt librarii l e g e m P a p i a m, uestigium tamen ueritatis in extremo loco optumi libri eo retinuerunt, quod non simpliciter *Papiae legis*, sed *Papiae illae legis* scriptum habent. Ibid. §. 19. sine dubio error est in editione Hertziana. Scriptum est ibi: *quoniam quae prima capta erat hoc fuisse nomen traditum est*, quod profecto, si Gronouio testi fidem habemus, in cod. Regio et in cod. Rottendorfiano legitur, quamquam ipse Gronouius *nomine*, non *nomen*, id quod M. Hertz praef. p. VIII. in

eius editione esse tradit, eo loco in editione sua scriptum habet. Sed quidquid id est, quod uulgo legebatur *nomine* unice uerum esse apparet, ut ne hoc quidem loco uirum nimio opere cautum laudare queam, quod librorum corruptelam propagare quam tuto locum emendare maluerit. **noie**, id est, *nomine*, tam frequenter cum **nom**, id est, *nomen*, commutatum est, ut etiam optumorum librorum auctoritas in eius modi loco nihil ualere debuerit. Conferantur, ut unum certe locum commemoremus, M. Tullii *Disputationes Tusculanae* lib. I. c. 9. §. 19., ubi nunc paullatim scriptura: *ut fere nostri declarant nomine*, omnibus probata est, quamquam ibi quoque in libris optumis legitur *nomen*, non *nomine*. Hoc autem Gellii loco ad linguae legem et ad ipsam sententiam accommodatissume dici: *quoniam quae prima capta est*, *hoc fuisse nomine traditum est*, non est quod pluribus persequar.

C. 13. §. 9. uix dubito quin pro *clari ac incliti uiri* scribendum sit *clari et incliti uiri*. *et* tam saepe cum *ac* particula confusum est, ut in uniuersa hac quaestione unus aut alter locus in numerum uenire non possit.

C. 15. §. 3. legendum uidetur e cod. Scioppii: *ut loquendi temeritas non cordis tantum custodia atque uigilia cohibeatur, sed etiam quibusdam quasi excubiis in ore positis saepiatur,* ubi nunc *sed et quibusdam* scriptum est. Uix dici potest quotiens **et̄**, id est, *etiam*, in *et* mutatum sit aliis quoque in locis. *etiam* hoc loco aptius est propterea, quod hoc loco non tam singulare uerbum *quibusdam* premendum est, quam tota enuntiatio efferenda est. Ibid. §. 9. Theodori Mommsen monitu ipse intellexit, uide praef. uol. II. p. X., in inscriptione orationis M. Catonis non esse legendum: *Si se Caelius tribunum plebis appellasset*, sed: *Si se Caelius tribunus plebis appellasset. appellare*, ut iam Henricus Meyer recte uidit in *Oratorum Romanorum fragmentis* p. 131. ed Turic. sec., quamquam is ipsam uerbi notionem non satis accurate ex-

plicauisse uidetur, hoc loco ita usurpatur, ut in M. Tullii lib. *de officiis* I. c. §. 25. 89. *cauendum est etiam ne maior poena quam culpa sit et ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem.* Sed appellare non est plane idem quod accusare, in qua sententia H. Meyer uidetur fuisse, sed est nihil aliud nisi ad rationem reddendam uocare, quod Caelius tribunus plebis pro potestate sua facere poterat. Etiam in ipsis uerbis Catonis, quae adfert ex eius oratione Gellius, non adsentior uiro intellegentissimo in eo, quod scribit: *Quod si non conueniatis, cum conuocari iubet, ita cupidus orationis conducat, qui auscultet* pro eo, quod uulgo legebatur: *Quod si non conueniatis, cum conuocavi iubet, ita est cupidus orationis, ut conducat qui auscultet,* quamquam non dubito quin optumorum librorum auctoritatem hoc quoque loco sequutus sit. Etenim ne Catonis quidem oratio mihi uidetur hanc uerborum constructionem ferre: *ita cupidus orationis conducat qui auscultet,* quae mihi neque forma satis nec ipsa sententia congruere uidentur. Nam etiam si auctore Iac. Gronouio *cupidus orationis* ita uelis interpretari, 'prae cupidine orationis', manet tamen *ita*, quod quo referatur non habet. Si igitur consideramus ueteres editiones omnes id habere, quod est aptissumum ad ipsam sententiam: *ita est cupidus orationis ut conducat qui auscultet,* ac ne in optumis quidem libris, quos secutus uidetur editor nouissumus, uerba *est* et *ut* ita plane euanuisse, ut nullum sui uestigium reliquerint — adnotat enim Gronouius aperte in codice Rottendorfiano post uerbum *orationis* esse signum ∂, in qua nota ille quamdam compendii uerbi *est* similitudinem sibi agnoscere uidetur —, nullo modo dubium esse arbitror, quin Cato olim sic fere scripserit, quem ad modum hunc locum habent ueteres editiones: *itast cupidus orationis, ut conducat qui auscultet.*

C. 16. §. 15. scripsit M. Hertz: *Alia enim ratione 'mille hominum', [alia 'mille homines'] dicendum est.* Uerba, quae uncis

circumclusa sunt, non leguntur in libris. Supplementum ipsum uetus est ac necessarium. Sed debebat tamen M. Hertz haec uerba sic potius restituere: *Alia enim ratione ['mille homines', alia] 'mille hominum' dicendum est,* quoniam sic si facimus, non solum melius apparet, qui factum sit, ut librarius, cuius oculus a priore *mille*, quod est ante *homines*, aberrauit ad alterum *mille*, quod est ante *hominum*, quae in medio scripta erant omitteret, uerum etiam ipsa uerba, si constructionem grammaticam spectamus, multo melius inter se congruunt.

C. 18. §. 2. editor clarissumus Theodoro Mommsen auctore, uide praef. uol. II. p. X., interpunctionem sic correxit: *L. Aelius noster, litteris ornatissimus nostra memoria, errauit aliquotiens.* Iure. Etiam infra c. 22. §. 9. dicitur: *Iulius Paulinus dicebat, homo in memoria nostra doctissimus.*, ubi haud scio an particula *in* carere possimus.

C. 21. §. 5. legimus in editione Hertziana haec: *Non enim primus finxit hoc uerbum Uergilius insolenter, sed in carminibus Lucreti inuentum est, nec est aspernatus auctoritatem poetae, ingenio et facundia praecellentis.* Non dubito quin hoc quoque loco illud rescripserit uir eruditissumus, quod in optumis libris inuenerat, sed ne ipse quidem ueram hanc Gellii manum habere potest, quod oratio plane dissoluta est nec ullo modo cohaeret: *finxit — Uergilius — inuentum est (uerbum) — nec est aspernatus (Uergilius).* Quis umquam Latinorum scriptorum sic est loquutus? Huc accedit quod sic non uidetur scriptum esse nisi in uno libro Buslidiano, qui est interpolatus. Cod. Reg. et cod. Rottendorf. et cod. Schefferi, si fides habenda est Gronouio, scriptum habent: *in carminibus Lucreti inuentus* (**inuentꝰ** Cod. Reg.) *est non aspernatus*, et ex codice Scioppii adnotatum est: *inuentum non est aspernatus.* Nobis quidem eodem plane modo, de quo diximus supra ad lib. 1. c. 7. §. 17., librarius, qui compendium sibi uisus

est uidere ibi, ubi ipsa uerba scripta erant, non compendia, errauisse uidetur. Ille se putauit cernere **auctoritatē** et scripsit *auctoritatem* pro eo, quod scribere debebat *auctoritate*, ita ut nomen aptius cum uerbo *aspernatus* coniungeret. Editiones ueteres, in his etiam, quam supra commemoraui, Coloniensis, ut ego arbitror, uerissume totum locum sic scriptum habent: *Non enim primus finxit hoc uerbum Uergilius insolenter, sed in carminibus Lucretii inuentum non est aspernatus auctoritate poetae ingenio et facundia praecellentis.* Ita saepissume *auctoritate* solo ablatiuo dici non est quod pluribus exponam.

C. 22. §. 8. uerum nullo modo potest esse, quod M. Hertz auctoritate codicis Vaticani restituisse uidetur: *In libro quoque [de re] p. [ublica] secundo id ipsum uerbum Cicero ponit non temere transeundum,* Quid enim est: *id ipsum uerbum Cicero ponit non temere transeundum?* An forte: *id ipsum uerbum, quod Cicero ponit, non temere transeundum est?* Quod si uellet dicere Gellius, aliter loqui debebat. Equidem, quantum in librorum scripturas inquirere potui usus etiam A. Maii adnotatione ad Ciceronem *de re publica* p. 270. ed. sec., maiorem lacunam in his uerbis statuendam censeo, in hunc fere modum: *Id ipsum uerbum Cicero ponit . . . . uerbum Ciceronis non temere transeundum,* ut librarius propter similitudinem litterarum errauisse uideatur. Sed sine dubio hac de re ipse M. Hertz, cui usque adhuc librorum scripturae soli patent, melius iudicare poterit.

His adnotationibus, quae mihi ad primum librum faciundae uisae sunt, iam finem imponam, si addidero locum, in quo plus una de causa rem suam minus recte uir clarissumus administrauisse uidetur. Legitur is c. 23. §. 9. et 10. in Hertziana quidem editione ita scriptus: *Hoc illa ubi audiuit, animus compauescit, domo trepidans egreditur ad ceteras matronas. Peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua. Lacrimanter atque obsecranter*

orant etc. Sed in hoc quidem loco, quamquam M. Hertz librorum optumorum auctoritatem secutus esse uidetur, tamen eius iudicium nullo modo possum probare propterea, quod quae ille uerba e librorum uestigiis restituit per se quidem sunt falsissuma, sed tamen non ita corrupta, ut de eis plane desperandum esse uideatur. Ac primum quidem in scriptura Hertziana falsissumum est quod legitur *animus compauescit* pro eo, quod vulgo legebatur: *animo compauescit*, id quod totidem litteris in libris manu scriptis Macrobii *saturn.* lib. I. c. 6. §. 22. legitur. Nam qui potest ad uerba: *animus compauescit*, recte adiungi illud, quod sequitur: domo trepidans egreditur ad ceteras matronas? (*animus*ne an potius *illa?*) Facili negotio intellegimus, *animus* in Gellii libris si scriptum est, nihil id esse aliud nisi librarii errorem, qui ortus exinde uidetur, quod is **animꝰ**, quod ipsum compendium Gronouius dicit saepissume in libris Gellii manu scriptis inueniri, scriptum putauit, ubi simpliciter **animo** erat scriptum. Uix igitur potest esse dubium quin Gellius scripserit idem quod apud Macrobium l. c. habetur: *animo compauescit.* Non minorem molestiam habent uerba, quae sequuntur: *domo trepidans egreditur ad ceteras matronas*, si ita, quem ad modum fecit uir egregius, inter se coniunguntur. Uerba sic scripta profecto sententiam habent ad hunc locum minume aptam; et tum demum ueram sententiam haberent, si matronae ceterae ante aedes Papirias congregatae stetissent, ut quae egrederetur domo statim in illarum coetum perueniret. Nunc autem quum ceterae matronae non possunt esse nisi suae quaeque domui, idoneam sententiam non habent. Tertia accedit difficultas orationis ac molestia, sententia quidem nostra, in uerbis his, quae iam apud M. Hertz ita scripta leguntur: *Peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua.* Quam ob rem dictum est *peruenit* hic, ubi simplex uerbum *uenit* requirebatur? Quid opus est *per* particula? Minume sic loqui sole-

bant ueteres Latini in simplici narratione: *'Uenit Chremes postridie ad me clamitans'* dixit Terentius in Andria act. I. sc. I. u. 117., non *peruenit Chremes* etc. Quamuis igitur libri optumi tutari uideantur *peruenit* in hoc Gellii loco, non potest tamen haec uera scriptura esse. Usque adhuc id egimus, ut ostenderemus uerum illud esse non posse, quod uir clarissumus e libris manu scriptis reposuit. Nunc uideamus quem ad modum totus locus, de quo desperandum non est, restitui posse uideatur. Ac primum quidem ex illis, quae ante exposui, apparere mihi uidetur scribendum esse: *Hoc ubi illa audiuit, animo compauescit, domo trepidans egreditur*, ita ut uerba, quae iam sequuntur*: ad ceteras matronas*, ab hac enuntiatione separentur et transferantur ad illa uerba, quae deinceps sequuntur, quem ad modum id iam in editionibus Gellii ueteribus factum est. Hinc per se sequitur, nos ea uerba, quae deinde in editione Hertziana leguntur, etiamsi ex optumis libris recepta sunt, corrupta habere: *ad ceteras matronas peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua* etc. Quid igitur? post uerba *ad ceteras matronas* e codice Buslidiano interpolato recipiamus: *defert quod audierat*? Minume, opinor. Nam quamquam sententiam ad hunc locum accommodatam habent, tamen eius modi interpolationes permultae sunt in illo codice, ut minor ei fides habenda sit, et praeterea etiam *peruenit*, quod uerum esse non posse supra uidimus, unde uenerit intellegi non potest. An pro uerbis, quae sunt in codice Buslidiano: *defert quod audierat*, unum uerbum *adfert* e Macrobii l. c. accipiamus, ut ita procedat oratio: *ad ceteras matronas adfert*? Non prorsus improbabile hoc esse uidetur: facile enim *ad-*, quod fortasse etiam *at-* scriptum erat, ut haud raro in ueteribus libris factum est, post *matronas* excidere poterat et extrema pars uerbi *fert* propter *peruenit*, quod sequitur, obscurari. Uerum tamen ne id quidem comprobare possum, quoniam Macrobius in eius modi locis, etsi alios scriptores sequebatur, liberius saepe uersatus est,

nec uerbi *adfert* in Gellii libris ullum uestigium mansit. Ut res nunc comparata est, mihi uidetur probabilius esse in codice archetypo olim scriptum fuisse **perfertuenit**, illud autem, quod in medio erat positum, *fert*, siue quod librarius ad uerbum, quod sequitur, spectabat siue quod *per*, in quo similes litterae sunt, praecesserat, esse omissum. Quod quum ita sit, credo ego plerosque mihi adsensuros esse, si denique totum hunc locum sic esse constituendum pronuntio: *Hoc ubi illa audiuit, animo compauescit, domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas perfert. Uenit ad senatum postridie matrum familias caterua: lacrimantes atque obsecrantes orant* etc. Illud unum quasi praeteriens adiungo, c. 25. §. 13. e codice uetere Scioppii recipiendum fuisse: *quae uel audiuimus uel legimus*, pro uulgato: *quae uel audimus uel legimus*, quod ad illum locum sine dubio tempus perfectum multo est accommodatius quam praesens.

Reliquum est ut exponatur de successu, quo de praemio eruditionis hoc anno commilitones concertaverint, deque argumentis, quae in proximum annum Ordines nostri ad concertationem destinaverint.

Ac Theologorum quidem Ordo quam proposuerat quaestionem, *quam vim et dignitatem doctrina N. T. τῷ σώματι tribuat*, tractaverunt tres. Quorum is, qui disputationem suam inscripsit verbis *διαιρέσεις χαρισμάτων εἰσί, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα*, multos quidem locos congessit, ad ipsam autem rem non penetravit. Alter, qui dissertationi suae inscripsit *Nil sine alio*, etsi eo, quod aliena immiscuit, necessaria omisit, caussae satisfecisse dici nequit, tamen talem comprobavit industriam talemque in rebus difficilioribus expediendis aciem, ut publica laudatione dignus iudicatus sit. Is denique, qui usus est dicto *Praesens est imperfectum, futurum perfectum et plus quam perfectum*, disputationem quidem suam non prorsus ad sententiam propositam accommodavit, praetereaque alia non satis perspicue alia non satis subtiliter exposuit, tantam vero diligentiam, litterarum theologicarum scientiam, veritatis indagandae studium exhibuit, ut praemio eum dignum Ordo iudicaret. Resignata scida prodiit

WOLDEMAR GOTTLOB SCHMIDT

Misnensis, theologiae candidatus.

Iurisconsultorum Ordini, qui demonstrari iusserat, *an et quibus condicionibus positis fieri possit, ut per pactum inter alios initum iura nobis acquirantur*, una tradita est dissertatio. Quae dissertatio quum ita comparata esse videretur ut, si non germanice praeter consuetudinem, sed latine scripta esset, praemio digna haberi potuisset, ipsam quidem ad concertationem admittere Ordo non potuit, eius auctorem vero propter laudabilem in re tractanda positam industriam ad beneficium in ipsum conferendum summis rerum nostrarum academicarum curatoribus commendare decrevit. Est is

PISTOTHEUS ALBRECHTUS WOLF
Treuenensis, iuris studiosus.

Medicorum Ordo quod proposuerat argumentum unus exstitit qui tractare conaretur. Is quaestionem etsi non exhausit, tamen collectis quae usque ad hunc diem de ea re disputata atque experimentis cognita sunt, variisque additis observationibus et experimentis denuo institutis ita illustravit, ut studium eius laudandum operamque impensam praemio proposito remunerandam esse Ordo censeret. Aperta scida inventus est

WALTERUS KRUG
Zwiccaviensis, medicinae baccalaureus.

Philosophorum Ordinis classium prima tantum, quae disputari iusserat *de oratione Lysiae in Eratosthenem, et ita quidem, ut non solum quae ad eius historiam pertinent accurate exponantur, verum etiam quo iure nuper ab A. Heckero, (in dissertatione quae prodiit Lugd. Bat.* 1848) *in dubium vocata sit examinatis singulis locis exploretur*, unam dissertationem accepit. Huius auctor etsi genere dicendi usus est parum emendato, tamen quod et quae ad litis in Eratosthenem ab Lysia illatae historiam pernoscendam faciunt omnia accurate exposuit et ipsam orationem ab imprudenti Batavi hominis impetu prudenter fortiter feliciter defendit, ab Ordine praemio dignus iudicatus est. Reclusa scida repertus est

GERHARDUS AUGUSTUS HERMANNUS FROHBERGER
Lipsiensis, philologiae studiosus.

Iam in proximum annum argumenta proponuntur haec.

Ab Ordine Theologorum: *Fides Abrahami quomodo fidei Christianorum iustificantis exemplar sit.*

Ab Ordine Jurisconsultorum: *De emptione et venditione hereditatis.*

Ab Ordine Medicorum: *Qua ratione musculi aut plane discissi aut tantum incisi sanentur et reficiantur quaeritur. Elementa igitur organica, quibus fibrae discissae sanatis musculis invicem coniunguntur et intersticia orta replentur armato oculo detegenda sunt.*

Ab Ordinis Philosophorum classe prima: *Charakteristik des historischen und poetischen Gehaltes der Sagen von den Anfängen deutscher Stämme und ihrer Fürsten, nebst Berücksichtigung darauf bezüglicher Klügeleien mittelalterlicher Chronisten.*

Ab eiusdem Ordinis classe altera: *In welchem Verhältnisse steht die Form, welche das sogenannte Naturrecht bei Kant und seiner Schule hat, zu den früheren rechtsphilosophischen Lehren seit Hugo Grotius?*

Ab eiusdem Ordinis classe tertia: *Ueber die Wirkungsweise der sogenannten Beizmittel beim Färben der Zeuge sind die Ansichten sehr getheilt. Um zu einer befriedigenden Theorie der Färbekunst zu gelangen, müssen die chemischen Vorgänge beim Beizen der Zeuge genauer als bisher geschehen ermittelt werden. Die Fac. verlangt, mit Beziehung hierauf, die Untersuchung des Verhaltens irgend eines Beizmittels, z. B. eines geeigneten Salzes der Thonerde oder des Eisenoxydes, gegen die Baumwollenfaser, insbesondere die Beantwortung der Frage: welche chemische Verbindung in dem gebeizten Zeuge bewirkt die Aufnahme des Farbstoffes?*

His in argumentis pertractandis qui commilitonum operam suam collocare et ingenium exercere volent, rogamus ut scripta sua, addita obsignata scida nomen auctoris continente eodemque quo scriptum dicto insignita, ante kalendas Augusti anni proximi decanis tradant.

P. P. pridie kal. Novembres a. MDCCCLVII.



EX OFFICINA A. EDELMANNI, TYPOGRAPHI UNIVERSITATIS.